



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvrис Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.I.], 1645**

§. 6. Hæmorrhioissa à medicis desperata, ad Christum confugiens sanatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](#)

relictis Athenis, Syracusa; in Siciliam, ad Dionysium nauigasset tyrannum. Qua reprehensione digni erunt, qui, Deo relicto, currunt ad veratores, ad magos, ad ipsum cacodæmonem maximum omnium tyranorum, & capitalem humani generis inimicum? Nimirum, qui ex patre diabolo sunt, ad diaboli opem anhelant, sicut in proverbio dicitur: *Bos alienus subinde foras prospectat.*

tra Pla-  
tonem  
Laërt. in  
Diog.

Plutarch.  
in Symp.  
decad. 8.

§. VI.

*Hæmorrhœssa à medicis desperata ad Christum  
confugiens sanatur.*

Non sic fecit mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, duodecim annis; quæ, vt Marcus, signatissimè addit, fuerat multa perpessa à compluribus Medicis: & erogauerat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat. Atque, vt Lucas ait, quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari. Quid ergò à medicis desperata fecit? Credidit, Christum etiam in occipitio oculos habere: quare, non in faciem progressa, vt videretur, sed accessit retro, & tetigerit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intrasé: *Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero.* Observat S. Augustinus, non om-

Matth. 9.  
20.  
Marc. 5.  
26.  
Luc. 8.  
43.

D 5 nes,

58 Cap. III. Alia noni Testamenti exempla

nes, qui sequuntur Christum, & eum tangunt, verè tangere, sed potius comprimere: illos verè tangere, qui fide ad Christum accedunt, *Fide tangitur Christus*, ait S. Ambrosius. Hoc ergo fecit mulier, quam idem D. Ambrosius alibi Martham Lazari sororem fuisse opinatur; at Eusebius, & Sozomenus, probabilius scribunt, ciuem fuisse Cæsareæ Philippi, quæ postea Saluatori suo statuam, ante ædes, posuerit æternum accepti beneficij monumentum. Quid ergo huic mulieri, quæ à nullo medico potuit curari, fecit Christus? *Conuersus, & iam etiam corporeis oculis videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora.* Sic curat Christus, quos nemo potest curare: immò, qui multa perpetiuntur à pluribus medicis, & erogauerunt omnia sua, nec quidquam profecerunt, sed magis deterius habebant.

S. VII.

*Hæmorrhœæ exemplo, Reliquias Sacras, tanquā diuinitus salutares, esse venerandas.*

Et fieret hoc frequentiùs, si mulierem hanc plures imitarentur, ac saltem, postquam satis experti sunt, in filijs hominum non esse salutem, ad Deum configurerent; aut, si, mo-

re

S. Ambr.  
lib. 6. in  
Luc.  
S. Ambr.  
lib. de Sa-  
lomone.  
c. 5.